

Ananias manum quidem imposuit, non jam ad collationem Spiritus S. sed ad sanitatem, ad visum Paulo restitutum, unde subiungit textus & *conferimus ad oculos eius tanquam squamae & visum recepit.*

Neque illud omnitem, Ananiam prius Paulo imposuisse manus quam ipsum baptizaret; quod certe facere non potuisset Ananias etiam si Episcopus, si ea manuum impositio confirmatoria fuisset, cum sit baptismum primum omnium Sacramentum. Non dissimile quidpiam petunt Graeci argutores ex *Epist. 1. ad Timoth. 4.* in qua sic legitur. *Noli negligere gratiam, qua data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Ex quo inferunt, presbyteros etiam manus imponere potuisse ad collationem Spiritus S. Quisquis haec alie perpendit facile intelliget, momentum hoc non modo omni auctoritate destitui, sed proposita quaestioni repugnare & ab omni veri specie esse remotissimum. Hic enim agitur de impositione manuum ordinaria, quam nemo unquam simplicibus Sacerdotibus tribuit; maxime cum aliunde liquet Timotheum a Paulo fuisse ordinatum, 2. ad *Timoth. 1. per impositionem manuum nearum*: non de impositione confirmatoria, de qua nunc disputamus. Mera ergo aequivocatio sibi est; Nam *Presbyter* Graece idem sonat, ac *senior*; qui titulus perinde & Episcopis & Sacerdotibus datur. Unde & Joannes qui certe Episcopus erat, eum sibi sumit initio suarum Epistolarum. Unde per *impositionem manuum presbyterii* laeta in Epistola significat impositionem manuum Episcopalem: ut exponit S. Joannes Chrysostomus in *hunc locum*.

Quin & illud addiderim: *To presbyteri* olim tantum legebatur: Nunc vero post castigationem Sixti V. & Clementis VIII. legitur *presbyterii*.

Quod opponunt tertio loco, difficultatem non levem habet, multorumque torfit ingenia. Ajunt quippe, simplicem Sacerdotem saltem absente Episcopo hujus Sacramenti ministrum esse; imo praesente etiam Episcopo, si tamen ille permitteret: Nam Concilium Toletanum I. *Can. 20.* Arausicanum I. *Can. 2.* & Innocentius I. *Epist. 1.* discernunt, Presbyterum absente Episcopo, posse alios ungeri Chrismate: praesente vero nequaquam, nisi fuerit illi ab Episcopo praecipuum.

Quam ab omni veri specie id remotissimum sit, quisquis paulisper attenderit, facile deprehendet. Concilium enim Toletanum loquitur de inunctione caeremoniali, quae ex decreto Innocentii I. fiebat in vertice, quaque erat caeremonia baptismatis; non vero de inunctione sacramentali, de qua nunc disputamus. Concilium Arausicanum de ea reconciliatoria inunctione sermonem habet, qua olim ad Ecclesiae gremium recipiebantur haeretici; Ungebantur enim, ut supplerentur caeremonia ab Ecclesia in conferendo baptismate adhiberi solita, quam haeretici omiserant. Innocentius tandem eam caeremoniam intelligit, qua ungebantur Energumeni, ut maligni spiritus fugerentur, quibus omnibus suffragatur ratio haec disertissima; quia olim non licebat Sacerdoti quemquam sacro Chrismate inungere; imo nec sacro baptismate initiare, nisi jubente, aut procul absente Episcopo, & gravi urgente necessitate, ut patet ex *Epistola 88. Leonis in fine*, ubi sic habet, *sed neque coram Episcopo licet Presbyteris in baptisterium intrare, nec praesente Antistite, Instantem tingere aut signare.*

PRÆLECTIO IX.

Simplicem Sacerdotem non posse ex R. Pontificis dispensatione Ministrum esse Extraordinarium Sacramenti Confirmationis, multis evincunt.

MIrum est, quantum inter sese digladientur Theologi tum veteres tum recentiores in ea percelebri dirimenda quaestione, num possit Pontifex ex plenitudine suae potestatis dispensare simplici Sacerdoti facultatem intrandi Sacramentum Confirmationis. Possit itaque ex dispensatione Pontificum simplicem Sacerdotem, Diaconum, ac etiam Presbyterum ordinare, docent Innocentius IV. in *Cap. quanto de consuetudine*, Sylvester Angelus de Clavasio in *Summa*, verbo *Ordo*; Panormitanus in *Cap. quanto, de consuetudine*; Hugo, & Hugolinus veteres Canonici Juris interpretes a S. Raymundo saepe laudati. Ex Scholasticis Gulielmus Artifiodorensis *lib. 4. Summa Tract. 8. quest. 1.* Petrus Aureolus in *2. dist. 24.* Nicolaus de Ortellis in *4. Sent. dist. 7. quest. 1.* quam etiam sententiam ut probabilem putant Vasques in *3. part. disput. 24. cap. 3.* & Meratius *Disput. 8. de ordine Sect. 2.* Hanc tamen perfractae negant Durandus, Adrianus, Ertius, Catumfyrus, alique bene multi Theologi; quorum ego Sententiam lubentius sustinendam existimo, tum Summorum Pontificum auctoritatis, tum aliis longe multis momentis, quae rem patentissimum faciunt.

Praecipuum illud est, quod primum omnium decernit Innocentius III. *Extra de consecr. Cap. quanto*: ut fideles potius careant Sacramento Confirmationis in mortis articulo, quam quod a Presbyteris illud accipiant. Quamvis porro major necessitas esset dispensandi, quam in periculo mortis? Equis igitur sibi fingat, id decrevisse Pontificem, si cognovisset plenitudine suae potestatis dispensare posse Presbyteris, Sacramentum Confirmationis ministrare.

Innocentio III. mire concinit Joannes III. in Epistola ad Episcopos Galliae & Germaniae, ubi habet, Apostolos precipiente Domino, illisque denunciante, ut illi & Successores eorum tantummodo per manus impositionem traderent Spiritum S. nulli unquam ex septuaginta Discipulis tradere Spiritum S. per manus impositionem permisit, eis scientes illicitum fore, dantes successoribus exemplum, ne unquam talia praesumerent.

Si ergo Apostolis in tanta necessitate & penuria Episcoporum, illicitum erat dare talem dispensationem, quanto magis Pontifici?

Id etiam nil minus egregie & luculenter docent alii Summi Pontifices, Leo Magnus *Epist. 88.* Gelafus *Epist. ad Lucanum*, & Damasus ad Episcopos Numidiae, qui de hujus Sacramenti administro sic habent, eodem modo Episcopis solis esse reservatum, & Chrismata conficere, & baptizatorum frontem Chrismate consignare; sed primum ita illis est reservatum, ut nequeat R. Pontifex simplicibus Sacerdotibus dispensare; erit igitur & secundum ita proprium Episcoporum, ut nullo unquam tempore nullaque occasione potuerint Presbyteris elargiri.

Non ita tamen morosi sumus, nec in asserenda hac veritate adeo parci, quin adversa sententiae vindictae novis momentis, iisque nil minus validis resellamus. Et sane quaecumque sit Romanorum Pontificum potestas, poterit, quidem agere & dispensare in rebus ad jus canonicum spectantibus, nullo tamen modo poterit in iis agere & dispensare, quae pertinent ad jus divinum; Cum igitur divino jure constituti sint Episcopi Ministri Confirmationis; quo titulo Romani Pontifices

ces

ces simplicibus Sacerdotibus concedere poterunt hoc Sacramentum ministrare?

Ceterum non video, quae possit esse hujus dispensationis necessitas; tum quia tam facile est R. Pontifici, Sacerdotem Episcopum creare, quam cum illo dispensare: tum quia Sacramentum Confirmationis non est ad salutem necessarium. Quinimo secundum multorum Theologorum opinionem, in praxi non debent dari hujusmodi dispensationes, ob periculum nullitatis Sacramenti; Cum ob hanc causam eam propositionem uti erroneam damnaverit Innocentius XI. quae dicebat, non esse illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.

Nunc momentum probationis alterum urgeo nil minus decretorium, ac prorsus invictum. Potestas confirmandi vel competit Episcopo ratione Jurisdictionis, vel ratione characteris; Certe non competit potestate Jurisdictionis, nam cum possit Episcopus totam jurisdictionem suam alteri transferre, quemadmodum Vicario suo Generali aliquando communicat, fequeretur, posse tunc temporis Vicarium ipsum confirmare; quinimo & Vicarium Capitalem Sede vacante, cum eandem habeat ipse Jurisdictionem, quam habebat Episcopus; quod tamen somniavit nemo. Ut competit ratione characteris, qui quidem duplex est, Sacerdotalis unus, Episcopalis alter. Non habet certo certius Episcopus hanc potestatem ratione characteris Sacerdotalis; cum & omnis Sacerdos sine dispensatione Pontificis possit ministrare, cum eundem habeat & ipse characterem; Restat, ut habeat ratione characteris Episcopalis; quo posito, rogo vos, quomodo poterit simplici Sacerdoti ministratio Confirmationis a Pontifice dispensari, si solius characteris Episcopalis propria sit atque conveniens; neque hujusmodi characterem simplici Sacerdoti dispensando Pontifex tribuat?

Sunt, qui ad haec forte reponunt, Potestatem ordinariam competere Episcopo ratione characteris Episcopalis. Potestatem vero extraordinariam competere Sacerdoti ratione characteris Sacerdotalis, adjecta dispensatione Pontificia, per quam completur atque perficitur ea potestas.

At nec id quidem Adversariorum causam juvare poterit; nam vel haec dispensatio Pontificia addit supra characterem aliquid characteristicum, animae physice impressum, vel aliquid tantum morale ac veluti jurisdictionale: primum est impossibile. Primo: quia dispensatio nihil physicum animae imponit. Secundo: si quid tale adderet, esset indelebile, adeoque a Pontifice dispensatus, semper maneret dispensatus. Tertio: si tale quid possit imprimere, non solum per dispensationem possit Sacerdos confirmare, sed etiam Chrismata conficere & Sacerdotes ordinare. Secundum vero est insufficiens, tum quia possit Episcopus designatus & praconizatus hoc pacto etiam confirmare; tum quia potest Episcopus independentem a Pontifice delegare suam jurisdictionem cuiquamque liberit, qui tamen confirmare non potest.

Dicent tamen, eandem rationem contra nos posse retorqueri. Ajunt enim: Potest simplex Sacerdos conferre ex dispensatione minores Ordines, porro subiungunt; Episcopus dum confert minores Ordines, vel confert per potestatem jurisdictionis, vel per potestatem characteris; Certe non confert per potestatem jurisdictionis, alias & Vicarii Generales, quibus talem jurisdictionem transferre potest, & Vicarii Capitales Sede vacante, qui eandem ipsam jurisdictionem exercent, possent ordinare. Confert igitur per potestatem characteris, & tamen Pontifex potest

dispensare, ut & simplices Sacerdotes ordinare possint; futilis ergo & inepta nostra haec ratio dicenda est.

At non advertunt imprudentes, quam dispar sit ratio inter Sacramentum Confirmationis, & minores Ordines. Sacramentum Confirmationis verum Sacramentum est, a Christo D. institutum, cujus ministratio solis Episcopis reservata est; At minores Ordines a Christo Domino instituti non sunt, quinimo ut multi & quidem celeberrimi Theologi docent, maxime vero Cajetanus, Soto, Navarrus, Vasquesius, Morinus, Ertius alique bene multi, minores Ordines Sacramento proprie non sunt, sed Sacramentalia ab Ecclesia instituta, quorum conferendorum auctoritas Episcopo per delegationem collata est. Quemadmodum ergo potestas consecrandi Calices, quae mera facultas est ab Ecclesia concessa; quaeque non est nisi quid Sacramentale, potest ex privilegio simplici Sacerdoti committi; ita potestas conferendi Minores Ordines potest simplici Sacerdoti ex dispensatione concedi, cum potestas sit ab Ecclesia concessa, nec aliud quiddam Minores Ordines sint, quam simplicia quaedam ministeria Episcopis delegata. Secus est tamen in Confirmatione, quae Sacramento est, a Christo D. instituta, cujus conferendi auctoritas solis est Episcopis reservata.

Certe non esse Minores Ordines Sacramentum a Christo Domino institutum, rationes evincunt non paucae a Theologis celebratissimis insinuate. Prima ratio haec est: quod nusquam a Christo D. instituti legantur. Secunda; quod tribus prioribus saculis Ecclesia non alios noverit Ordines, nisi Episcopatum, Sacerdotium, & Diaconatum. Tertia: Quod Ecclesia Graeca omni retro aetate unicum ex Minoribus Ordinibus lektoratum etiam nunc frequentat. Quarta: Quod illorum ministeria simplicibus Laicis committantur. Quinta: Quod iis omnibus praetermissis, Diaconi ordinati legantur.

Unum est, quod hic statim subiungunt professi vitiligatores, quod tamen uti satis intelligo ita resello longe facillime. Potestas absolvendi a peccatis, propria est Episcopi; & tamen simplici Sacerdoti communicatur; ita ergo ministratio Confirmationis licet propria Episcopi sit, potest nihilominus simplici Sacerdoti committi.

Unde habent, potestatem dimittendi peccata esse propriam Episcopi? propria est Sacerdotum ratione sui characteris, quibus in ordinatione dicitur *accipite Spiritum S. quorum remisistis peccata remittantur eis.* Et si ea potestate uti non possunt, per accidens est, quia non habent subditos, qui tamen iisdem per Episcopum subiciuntur; eo pari modo, quo si quis Sacerdos esset in Regione longinqua ubi non inveniretur panis triticus, vel vinum de vite, eo certe in casu non posset consecrare, non quia non haberet Sacerdos potestatem, sed quia in promptu non haberet panem & vinum, unde posset consecrationis actum exere.

Cum igitur videant alia meliori via non posse suam hanc sententiam comprobare; In id fradium omne convertunt, ut productis exemplis palam faciant, simplices Sacerdotes ex concessione Pontificum data occasione ministrasse.

Et vero factant illi primum, & ad ravum usque recantant, exemplum Ecclesiae Graecae, in qua simplices Sacerdotes Sacramentum Confirmationis impertiuntur; Ecclesia vero nostra Latina Graecos benevole recipit, nec suos ritus improbat. Quomodo ajunt hi id toleraret Ecclesia Latina, si videlicet sciret, simplices Sacerdotes, neque ex plenitudine Pontificiae potestatis

te-

testatis, posse Sacramentum Confirmationis ministrare?

Sed ajunt hoc illi tantum, non probant, imo liquet esse falsissimum. In primis enim si aliquid forte allatum Ecclesie Græcæ exemplum probaret, probaret etiam simplices Sacerdotes ministros esse ordinarios Confirmationis, quod nulli unquam venit in mentem. Cæterum comperit esse ritum illum per abusum tantum inductum fuisse, initio schismatis Phoriani, & ab Ecclesia Latina semper damnatum. Constat hoc primo: quia Legati Nicolai I. cum Constantinopoli venissent, Chriftatos a Presbyteris Græcis denuo chrismarunt, ut Photius ipse testatur *Epist. 2. Encyclica ad Orientis Patriarchas*, Secundo: quia Episcopi Latini confirmatos a Sacerdotibus Græcis iterum confirmant paulo ante Synodum Florentinam, ut testatur Gregorius Protasynellus in *Epist. adversus Marcum Ephesium*. Tertio: quia Clemens VIII. in Instructione data Episcopis Latinis jussit, ut Episcopi Confirmatos a Presbyteris Græcis denuo confirmarent; Et sacra Congregatio, (uri fufus initio hujusce questionis exposuimus) consulta ab Archiepiscopis Panormi & Montiregalis super tumultu Græcorum, & periculo seditionis declaravit fraudum esse Instructioni Clementis VIII.

Producunt subinde alia multa hinc inde congesta Summorum Pontificum exempla, ut plures factas dispensationes ostendant.

Factum afferunt Gregorii Magni, qui cum inaudivisset, Sacerdotes Calaritanos in Baptismate conferendo unctionem illam, quæ in hujusce collatione in vertice fieri solet, æmulatione quadam dignitatis Episcopalis usque ad frontem protrahere, data ad Januarium Episcopum Calaritanum Epistola vetuit, ne Sacerdotes in sua Diocesi commorantes eam inunctionem ulterius usque ad frontem extenderent. Cum autem Januarium rescipisset Pontifici, multos eorum ob hanc causam scandalum suscepisse: data ideo altera Epistola eis licitum fecit Pontifex Sacramentum Confirmationis, *Pervenit ad nos (Pontificis verba sunt, quæ in Epist. 26. lib. 3. Registri ad Januarium Episcopum perleguntur) quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteris Chriftate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesie nostre fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriftate tangere debeant, concedimus*. Ex quo igitur colligitur, Gregorium Magnum dedisse licentiam Sacerdotibus Calaritanis Sacramentum Confirmationis ministrandi.

At si bene perpendant, videbunt, Gregorium Magnum licitam fecisse inunctionem longe diversam ab ea, in qua situm est Sacramentum Confirmationis; Quocirca scire juvat: ea ætate temporum alia erat inunctio, quæ ex decreto Innocentii I. fiebat in vertice, quæque erat cæremonia baptismatis; alia, quæ ex Decreto Sylvestri Pontificis fiebat ad pectus & scapulas; Presbyteri igitur Calaritani æmulatione, ut dixi, Episcopalis dignitatis eam inunctionem, quæ in vertice tantum fieri solita erat, usque ad frontem protraherant, in qua situm est Sacramentum Confirmationis. Gregorius tamen non dedit eis facultatem hujusmodi Sacramentum ministrandi, sed permissionem unice dedit, eam inunctionem extendendi usque ad frontem, quæ uti cæremonia baptismatis in vertice fieri debebat.

Cæterum ad majorem hujusce veritatis comprobationem, observare utilimum erit, corru-

ptum fuisse falsarumque a Gratiano *dist. 95. cap. pervenit, & dist. 4. de consecr.* genuinum contextum, legendumque esse *baptizandi & baptizandos*, non baptizatos, ut habetur in Editione operum D. Gregorii anni 1542. apud Hugonem, & hæredes Emonis a Porta & in posterioribus & castigatioribus Editionibus, quæ Parisiis nuperime curatae sunt. Imo in nonnullis Gratiani Decreti exemplaribus, Gratiani error emendatur ad marginem, *Baptizandos*. Quis igitur prudens putabit, eam inunctionem Sacramentalem fuisse, quæ baptizandis fieri solita erat?

Hæc igitur dispensatione dimissa utpote male tuta, alias alii congerunt adversus sententiam a nobis hæcenus vindicatam. Ajunt enim, Joannem XII. & Leonem X. pro Indis hanc potestatem Fratribus Minoribus concessisse, ut fert Rodericus in suo Bullario Regularium in Bulla tertia Leonis X. Adjungunt, hanc & Gregorium XIII. dedisse Fratribus Societatis Jesu, ut testatur Arcudius, Suarez, & Candidus, multaque alias in unum afferunt dispensationes a Summis Pontificibus factas, & Nicolai IV. & Urbani IV. & Joannis XXII. & Eugenii IV. & Leonis X. & Adriani VI.

Expendamus itaque singulas videamusque tanti roboris sint, ut nostram hanc statutam sententiam infirmem. Ad eam ergo, quam jam adduximus, factam ab Adriano VI. dispensationem: nescio quomodo ad Adriano id fuerit dispensatum, cum certo sciam, dum Lovanii scriberet, censuisse, Romanum Pontificem dispensare non posse, ut simplex Sacerdos Sacramentum Confirmationis administret; nec alia via poterat expedire se se ab argumento in oppositum sibi ficto, ab exemplo Gregorii Magni, qui Calaritanis Presbyteris id licitum fecit, quam si reponeret, Gregorium tamen Romanum Pontificem errasse, eam dispensationem concedendo.

Ad alias vero dispensationes, quod attinet: Respondeo, facta peculiariter datarum dispensationum, concessorumque Privilegorum non facere integram probationem & irrefragabilem Juris: quia R. Pontifices plerumque ex probabilibus duntaxat aliorum Theologorum & Canonistarum opinione, dispensationes concedunt. *Les matieres de dispense se reglent souvent par de simples probabilités; & on n'est pas obligé d'y rechercher la certitude de sa foy, dont memo, elles ne sont pas toujours capables*, inquit Illustrissimus Bosuetus Meldenium Episcopus *lib. 7. Variationum*. Patet & id permultis exemplis datarum dispensationum: tum in Matrimonio rato, non consummato; tum in voto solemniter castitatis. Hinc Paulus IV. in sermone habito ad Congregationem Theologorum & Prelatorum pro examine dissolutionis Matrimonii contracti per verba de presenti a Duce de Montmorancii cum Comitissa Pienza, apud Joannem de la Haye Theologum Parisiensem, qui consultationi interfuit: cujus narratio fertur ex integro, in Michaeli Castelnavi Maluiffieri Commentariis *Tom. 2. quique hæc habet: neque vos terreant Decessorum morum facta & exempla; que eatenus sequi volo, quatenus Scripturæ auctoritas, & Theologorum rationes nos ad illud agendum inducent. . . . Non dubito quin & ego, & Decessores mei errare aliquando potuerimus, non solum in hoc, sed etiam in pluribus aliis verum generibus*.

Et Clemens IV. in Epistola ad Abbatem Casæ Dei: *Comperimus Decessores nostros Monasteriis dedisse privilegia Divino juri contraria & humano, que rationabiliter annullare possemus. Et quatenus nostris Prædecessoribus, pro ut necessitas exigit, geramus*

ramus honorem, multa tamen eorum aliquibus placuerunt, quæ nobis imparis meriti & scientia nulla possent ratione placere.

Hoc innuere videtur & Innocentius III. *cap. quanto de divorciis*, dum postquam interrogationi sibi factæ, num Matrimonium inter fideles contractum omnino solvi possit, si Conjugum alter a fide defecerit: respondit eo etiam in casu solvi minime posse, ita subjungit, *licet quidam Prædecessor noster (hoc est Celestinus III. qui fecus antea definerat in Decretali sua laudabilem) aliter sensisse videatur*.

Huic adstipulatur Alexander III. *cap. lic. de Sponsa duarum*: Ubi cum iuste meritoque decernat, ob superveniens Matrimonium consummatum eum aliquo, ratum præcedens cum alio solvi non posse, hoc pacto subjungit, *quatenus a quibusdam Prædecessoribus nostris aliter sit aliquando judicatum*.

Sunt & alii, qui ex Concilio Tridentino argumentum non leve petunt, quod *Sess. de Confirmatione Can. 3. definit*, solum Episcopum esse ministrum ordinarium Sacramenti Confirmationis; *si quis dixerit, Sancta Confirmationis ordinarius Minister non esse solum Episcopum, sed quævis simplicem Sacerdotem, anathema sit*; ex qua definitione subjungunt, simplicem Sacerdotem ministrum extraordinarium esse posse Confirmationis.

Subtiliter quidem, ingenioseque excogitatum? At id nihil nos movet. Quod enim Concilium definerit, solum Episcopum ordinarium esse Ministrum Confirmationis non probat, posse simplicem Sacerdotem extraordinarium esse ministrum hujus Sacramenti; Probat quidem Concilium id definire voluisse, quod pertinebat ad fidem; illud tamen indecisum reliquit, de quo disputant inter se Theologi. Ea semper in quacunque Sanctione Conciliorum prudentia fuit, ea solum, quæ ad fidem pertinent, definire, cætera vero, quæ in Scholis Theologicis agitantur, indecisa relinquere; Dat hujusce veritatis exemplum idemet Tridentinum Concilium: Definivit enim in Confessione Sacramentali declarandas esse circumstantias, quæ mutant speciem, liberum tamen Theologorum disputationibus reliquit, num & illæ declarandæ sint circumstantiæ, quæ non mutant

speciem; eam hoc ad fidem minime pertineat. Si ex hoc igitur, quod definerit Concilium, solum Episcopum ministrum esse ordinarium Confirmationis, consequens esset definire simplicem Sacerdotem ministrum esse extraordinarium Confirmationis; sequeretur etiam, idem Concilium, dum definerit in Confessione Sacramentali declarandas esse circumstantias quæ mutant speciem; definire æque voluisse, eas etiam esse declarandas, quæ non mutant speciem.

Ablegatis ergo hæcæ subtilibus fundamentis, suam hanc sententiam Patrum quorundam suffragatione munire nituntur male consulti Theologi.

Ajunt itaque loco primo, S. Ambrosium in *Cap. 4. ad Ephes. & S. Augustinum in quest. utriusque Testamenti quest. 109. referre*, apud Ægyptum Presbyteros consignare, si presens non sit Episcopus. Ex quo inferunt, id certe non fecisse Presbyteros, ni eis licitum fuisset saltem ex dispensatione Sacramentum Confirmationis ministrare.

Si quis tamen citata loca alte perpenderit, comperiet primo: factum illud a laudatis Patribus referri tantum, non autem probari. Secundo: incertum esse, de qua consignatione loquantur. Tertio: quæstiones illas inter apocryphas & commentitias a Criticis recenserit. Quarto tandem: eam Ecclesiam Græcæ consuetudinem reprobata fuisse, ut fufe in antehabita Prælectione demonstravimus.

Longe minus rem ipsam, de qua disputamus attingit, quod petunt alii longe plures ex Damasco Summo Pontifice in Diurno referente, S. Sylvestrum præcepisse, ut Episcopi baptizatos consignarent; Presbyteris vero contulisse, ut baptizatos chrismate in articulo mortis linirent, ut ex eo evincant, simplices Sacerdotes posse quandoque ex dispensatione Pontificum confirmare. Licet enim Diurnum illam Damasci revera non esse, sed supposititium & apocryphum; Et certe mirari subit, Damascum id referre potuisse, cum in ea, quam ad Numidiam Episcopos scripsit Epistola, dixerit eodem modo folis Episcopis esse reservatum, & Chrifta consicere, & baptizatorum frontem Chriftate consignare.

Atque hic finis esto institutæ de Sacramenti Confirmationis, polemice disputationis.

Hic tamen adnotare necesse est Benedictum XIV. in suo de Synodo Diocesana Opere hanc Disputationem *Lib. 7. cap. 7. examinandam ex professo suscepisse; atque in finem ejusdem capituli suam sententiam satis declarare his verbis: non videtur hodie fas esse, potestatem, de qua olim disceptabatur, Summo Pontifice adjudicare*.